



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illvstrivm Virorum Poemata**

**Cesarini, Virginio**

**Antverpiae, 1662**

Epvlvm Avgvstini Chisii, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7990**

## AVGVSTINI CHISII,

in porticu supra Tiberim pensili,

LEONI X. PONT. MAX. & com-  
pluribus Cardinalibus datum.

**L** Audarunt alij conuiuia ditis Elise,  
Et Luculleas, Alcinoiq<sup>ue</sup> dapes,  
Et quas Romano cœnas Cleopatra marito  
Instruxit Pharijs perdita delicijs:  
At mea sollemnes epulas, & Regibus æquas,  
AVGVSTINE, tuas Musa loquatur opes.  
Stat super impendens Tiberinæ porticus vnda  
CHISIA, diuitijs nobilis Attalicis;  
Hospite nobilior, vultu dignata LEONIS,  
Quò posuit curas vrbis, & orbis onus.  
Hec quoque purpureos aurato limine Patres  
Accepit, totidem ceu Iouis aula Deos.  
Quæ mensis tum dona Ceres, quæ dona Lyæus  
Intulit, & largo Copia læta sinus!  
Vix tulit ipsa suum genialis mensa paratum.  
Et pretij quota pars ipse Lyæus erat?  
Fulgebant auro, fulgebant pocula signis,  
Fulgebant rutilis aspera chrysolithis.

Pascebant

FERDINANDI FÜRSTENBERGII.

*Pascebant oculos perfecta toreumata celo,*

*Aut Myos, aut dignus Mentoris arte labor.*

*Ipsa penus populo poterat satis una videri:*

*Hic poterat genio quisque litare suo.*

*Sic, ubi prostratos celebrarunt vina Gigantes,*

*Semideis licuit poscere vina Iouem.*

*Res noua: calatas ceperunt retia lances,*

*Et Polycletæâ vasa superba manu.*

*Miratur Tiberis proiectas flumine gazas,*

*Et quas nec Ganges, nec vehit Hermus opes.*

*Innocuam pisces escam mirantur in undis,*

*Mirantur nullo retia tensa dolo.*

*Retia nulla suis, nec quæ Nero texuit auro,*

*Premia captarunt diuitiora plagis.*

*Scilicet argenti quidquid Tiberinus & auri*

*Ceperat, hæc domino restituere suo.*

*I nunc, & Crassum memora Romana vetustas,*

*In Parthos auri quem sacer egit amor.*

*Seruiit ille opibus: laudato CHISIVS vsq̃*

*Effusæ dominum se probat esse rei.*